



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

26. De externis eiusdem actibus piè exercendis, oppositis defectibus
cauendis & incitamentis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

aut permisso fieri, sine quo nihil potest fieri? Dolor de his defectibus excitandus, & feruor eos emendandi & compensandi concipiendus.

XXVI. *De externis fraternæ dilectionis actibus piè exercendis, defectibus oppositis cauendis, & Incitamentis.*

I. **E**Xpende quomodo actus externi fraternæ charitatis possint piè exerceri, cuiusmodi sunt hi triplices:
 1. Vultu, verbo, facto ipso demonstrare, nos proximis fauere vera bona, & de ijs gaudere, insuper conari illos in ijs, quæ non habent, acquirendis, pro viribus, consilio & auxilio iuuare.
 2. Simili modo ostendere, nulla vera mala nos ijs fauere, aut de ijsdem gaudere, insuper illorum miserijs compati, & eripere eosdem conari.
 3. Blando vultu, placido eloquio, pacato animo, re ipsa omnia onera eorundem in charitate supportare, iniuriasque beneficijs compensare. Hi omnes externi actus magno cum merito poterunt frequentari, si in ijs exercendis fundamenta prædicta fraternæ dilectionis piè subinde recolantur: si interni affectus ijs correspondentes adiungantur, si semper pura cum intentione,

tionem, debita cum attentione, & seria omnium virtutum contentione peragantur. Quanta fuerit perfectio in his dicto modo exercendis Sanctorum in hac charitate excellentium, maximè B. Virginis & Christi Domini, tam clarè semper fundamenta caritatis erga proximum intuentis, tam ineffabili amore, erga Patrem, hominesque uniuersos æstuantis? Feruor perfectè actus externos caritatis frequentandi.

II. Quomodo defectus his oppositi efficaciter cauendi, quales sunt 1. Proximum ex inuidia, odio, aliavè sinistra affectione impedire, aut negligere cū possis verbo & exemplo, consilio & auxilio iuare, in veris bonis adipiscendis & augendis. 2. Quoduis malum corpori, animæ, famæ, bonisque proximi externis inferre. 3. Quouis modo impatientiam in proximi oneribus ferendis exterius prodere, & quasuis molestias, iniuriasque sibi illatas seuerè vindicare, nihil condonare. Hos omnes præcauendi suavis & efficax ratio est crebra prædictorum fundamentorum ruminatio: pia internorum, externorumque actuum fraternæ dilectionis frequentatio: affectuosaque post quemuis vel leuissimum

mum

num lapsum veræ contritionis excitatio. Quàm faciliè hisce medijs, si constanter ea vsurpares, omnes hos defectus præcaueres, eorumque radices euelleres? Feruor hisce medijs omnes contra charitatem defectus extirpandi.

III. Incitamenta ad continuum in fraterna dilectione proficiendi studium, quorum 1. sit: Quod dilectio proximi post dilectionem Dei, maximè nobis tanquã summarium omnis perfectionis in lege naturæ, in lege scripta, & in lege gratiæ commendetur, minis & promissis inculcetur, atque in hac etiam vita non rarò eius violatio grauius puniatur, observatio eiusdem liberaliter remuneretur, vt patet in Iosepho exaltato, & fratribus eius punitis: in Saule reprobato, & Dauide in eius locum assumpto. Vnde re-

1 Rom. 13.

atè Paulus: *Qui diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo legis est dilectio.* Et D. Ioannes rogatus cur iam senex roties inculcasset illud: *Filioli diligite vos inuicem?* Respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solũ fiat, sufficit.* 2. Quod sit nota discipulorum, & ouium Christi, & filiorum Dei, iuxta illud Christi:

Ioan. 13.

In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis.

ostis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

& illud Augustini: *Dilectio sola discer-* Tr. 5. in
Ioan.

nit inter filios Dei & filios diaboli. & illud Colat. 16.
c. 6.

Cassiani: *Charitas rubrica est, qua oues*

Christi discernuntur. 3. Quod maximū

sub agonem mortis afferat homini so-

latium, tum ob spem similis miseri-

cordiæ, & charitatis sibi à Christo ex-

hibendæ, qualem ipse membris eius

impendit; tum ob spem liberalissimæ

remuneracionis omnium actuum fra-

ternæ dilectionis, quos Christus tan-

quam sibi exhibitos acceptare promi-

sit. Zelus proficiendi in dilectione

proximi.

De Misericordia.

XXVII.

I. **E**Xpende quænam sint præcipuæ

actiones internæ misericordiæ,

& quomodo perfectè exercendæ: Mi-

sericordiæ, *qua virtus est, qua alienis mi-*

serijs condolemus, & prout possumus, suble-

uamus, actiones internæ sunt hæ præ-

cipuæ: 1. Proximorum miserijs tam

spiritualibus quàm corporalibus inti-

mè compati: 2. Velle, desiderare, ac

proponere opera misericordiæ spiri-

tualia eisdem exhibere, peccantes cor-

rigendo, ignorantes docendo, pro vi-

uis & defunctis orando. 3. Desidera-

Ggg

re si-